Quelle: https://manuscripta.at/?ID=928
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Omnipotens sempiterne deus qui dedisti famulis tuis in confessione uere fidei eterne trinitatis gloriam agnoscere et in potentia maiestatis adorare unitatem: quesumus: ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis Ps. I. apok. b. Io. a.

In diebus illis Vidi ostium apertum in celo: et uox prima quam audiui tanquam tube loquentes mecum dicens Ascende huc: et ostendam tibi que oportet fieri post hec Statim fui in spiritu Et ecce sedes posita erat in celo: et super sedem sedens Et qui sedebat: similis erat aspectu lapidis iaspidis et sardinis Et iris erat in circuitu sedis similis uisioni smaragdine Et in circuitu sedis sedilia uiginti quatuor: et super thronos uiginti quatuor seniores sedentes circumamicti stolis albis: et in capitibus eorum corone aurree Et de throno procedunt fulgura et uoces et tonitrua Et septem lampades ardentes ante thronum: qui sunt septem spiritus dei Et in conspectu sedis tanquam mare uitreum: simile crystallo Et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro Et animal primum simile leoni: et secundum animal simile uitulo: et tertium animal habens faciem quasi hominis: et quartum animal simile aquile uolanti Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas et in circuitu et intus plena sunt oculis Et requiem non habebant die ac nocte dicentia Sanctus. sanctus. sanctus dominus deus omnipotens qui erat et qui est. et qui ueniturus est Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum uiuenti in secula seculorum: procidebant uiginti quatuor seniores